

DE PAPATU MATERIALI

Auctore

Rev. Donald J. Sanborn

PARS PRIMA: POSITIVA INQUISITIO DE DISTINCTIONE INTER SUCCESSIONEM FORMALEM ET MATERIALEM

Præfatio

Inter eos, qui negant Joannem Paulum II verum papam esse, duo “castra” inveniuntur: (1) eorum qui negant eum esse papam nec materialiter nec formaliter; (2) eorum qui negant eum esse papam formaliter, sed qui affirmant eum esse papam materialiter.

Multa iam scripta sunt de duabus sententiis. Propterea tamen quod sententia secunda — a Rev.mo. Dño. Guérard des Lauriers lata — a pluribus sacerdotibus male capitur, in hac serie libellorum explicationem huius theses proponam, ut omnes saltem clare eam comprehendere possint, atque de eius meritis bene iudicare.

Præcipua ratio cur hæc thesis impugnetur a pluribus est quod materia et forma auctoritatis non distinguuntur in mente, vel si distinguuntur, distinctio non bene applicatur ad papatum. Insuper multi sacerdotes thesin Rev.mi Dñi. Guérard (quam posthac simpliciter “thesin” appellabimus) nimis abstractam esse putant, quasi non intelligibilem, et distinctionem inter materiam et formam auctoritatis spuream, puram inventionem theologicam accessitam ad explicandam rem difficilem.

Sed nulla hæc vera sunt. Distinctio inter materiam et formam papatus et auctoritatis in genere “classica” est, inventa apud fere omnes theologos. Hæc distinctio invenitur implicite in quæstione de successione apostolica, ubi tractatur de successione materiali et non formali apud schismaticos, et secundum aliquos, apud anglicanos. Successio apostolica, secundum sententiam communissimam, potest esse vel materialis vel formalis. Illa est mere *nuda possessio sedis*, id est, possessio sedis sine auctoritate; hæc autem est possessio sedis cum auctoritate. Ista distinctio inter successionem materialem et formalem non posset existere, *si non esset possibile possidere sedem sine auctoritate*. Hæc autem distinctio communissima vigens apud theologos thesin probat, quæ apte distinctionem realem ponat inter possessionem sedis apostolicæ et possessionem auctoritatis apostolicæ, non esse “inventionem abstractam” vel “spuream” vel “arcessitam”, ut multi dixerunt, sed contra simplicem et claram distinctionem, a philosophia thomistica sumptam, et a testimonio plurimorum theologorum omnium scholarum confirmatam.

Methodus qua utar ad tractandum de hac quæstione hæc est: (1) in primo libello testimonia theologorum de distinctione inter successionem apostolicam *formalem* et *materialem* adducam, continentem explicite distinctionem inter possessionem sedis *sine possessione auctoritatis*, et possessionem sedis *cum possessione auctoritatis*, probantia talem distinctionem non esse puram inventionem, sed contra bene cognitam, ab omnibus agnitam, anteriorem quæstioni præsentis de vacantia sedis; monstrabo insuper quomodo Ecclesia non possit continuere tamquam unicum corpus morale nisi continuatur *linea materialis legalis sine interruptione ab ipso Sancto Petro* (2) in secundo libello tractabo modo speculativo de philosophia auctoritatis in genere, tunc speciatim de materia et forma papatus, testantibus aliquibus auctoribus, et demonstrabo quomodo, ex una parte, promotio hæresis et auctoritas papalis eodem subjecto non possint inhærere, sed, ex altera parte, legalis possessio sedis possit permanere deficiente sententia authentica contra sedentem hæreticum; (3) in tertio libello, applicabo conclusiones ad Montinium, Lucianum, et Wojtylam, et ad objecta respondebo.

TESTIMONIA THEOLOGORUM

CAMILLUS CARD. MAZZELLA

De Religione et Ecclesia Prælectiones Scholastico-dogmaticæ, (Romæ: 1896)

Dicitur [apostolica successio] *perennis* seu *non interrupta*, tam scilicet *materialiter*, quatenus non desint omnino personæ quæ iugiter Apostolis substituuntur; quam *formaliter*, quatenus hæ ipsæ personæ substitutæ potiuntur auctoritate ab Apostolis derivata, ab eo illam accipientes, qui actu illam habet, et communicare potest. (p. 559).

SANCTUS ROBERTUS BELLARMINUS S.J.

Observandum est in Pontifice esse tria: *Pontificatum ipsum* (nempe primatum), qui est forma quædam: *personam*, quæ est subiectum Pontificatus (seu primatus): et *coniunctionem* unius cum altero. Ex quibus rebus, prima, scilicet ipse Pontificatus, a solo Christo est; persona autem est quidem a suis causis naturalibus absolute, sed, prout electa et designata ad Pontificatum, est ab electoribus; illorum est designare personam: ipsa vero coniunctio est a Christo, mediante (vel præsupposito) actu humano electorum...Itaque electores vere dicuntur creare Pontificem, et esse causa ut talis sit Pontifex;...non tamen dant ipsi eam potestatem, neque sunt causa eius potestatis. Sicut in generatione hominis anima infunditur a solo Deo: et tamen, quia pater generans, disponendo materiam, est causa coniunctionis animæ cum corpore, dicitur homo generare hominem, et tamen non dicitur homo producere animam hominis.

G. VAN NOORT

Tractatus de Ecclesia Christi, (Hilversum in Hollandia: 1932)

Prima via [i.e. constandi aliquem episcopum legitimum successorem apostolorum esse] est, ut documentis historicis monstretur, eum numquam interrupta decessorum serie cum uno ex apostolis coniungi; in quo tamen opus est simul ostendere, neminem ex tota serie locum præcedentis illegitime occupasse aut, legitime cooptatum, postea missionem suam perdidisse. Nam sola successio materialis nihil probat. (n. 120)

Quicumque igitur de successione apostolica gloriatur, sed romano Pontifici non coniungitur, potestatem ordinis habere quidem potest, sedem ab aliquo apostolo fundatam materialis successione occupare potest, aut saltem posset, sed verus et formalis apostolorum in munere pastoralis successor non est. (n. 120)

Loquens de Michaele Cærolario:

Atqui si desiit esse membrum collegii episcopalis, necessario perdidit potestatem apostolicam, quam ut membrum huius collegii possidebat. Ergo quamquam sedem (mediate) apostolicam materialiter occupare pergebat, non amplius erat de legitimis apostolorum successoribus. (n. 140)

PATRES SOC. IESU FACULTATUM THEOLOGORUM IN HISPANIA PROFESSORES

Sacrae Theologiae Summa, I: Theologia Fundamentalis (Matriti: La Editorial Católica: 1952)

Apostolicitas successionis distinguitur duplex: (1)

materialis, est mera continuatio unius personæ post aliam in aliquo munere, sine necessaria eiusdem iuris permanentia; (2) *formalis*, est suffectio unius personæ in iura et obligationes alterius circa aliquod munus, sine ulla iuris mutatione. (n. 1178)

VALENTINUS ZUBIZARRETA

Theologia Dogmatico-scholastica, I: Theologia Fundamentalis. Bilbao: Ed. Eléxpuru Hnos., 1937.

Est necessaria non solum [successio apostolica] *materialis* quæ in mera pastorum serie sita est, verum etiam *formalis*, in quantum unusquisque legitime alios succedit. Ordo episcoporum per successiones an initio decurrens ita evolvitur, «ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem». (Tertullianus, *De Prescrip.*, c. 32; ML 2, 53) Quare *schismatici* et *intrusi*, qui per vim vel fraudem sedem usurparunt, successionem formalem interrumpunt, novamque pastorum seriem inchoare dicuntur.

J.V. DE GROOT, O.P.

Summa Apologetica de Ecclesia Catholica, (Ratisbonæ: Institutum Librarium pridem G.J. Manz., 1906.)

[Apostolica successio] *legitima* sit, ut habeatur successio *formalis*, non mere *materialis*. *Formalis* enim successio fit ex præceptis Christi; *materialis*, neglecto Christi præcepto, in mera sedis pastoralis occupatione consistit.

Formale autem in successione est *jus* et legitima missio, qua deficiente *jurisdictionis* potestas nulla habetur.

Non datur in ecclesia *legitima missio*, si deest *legitima successio*. (p. 184).

E. SYLVESTER BERRY, D.D.

The Church of Christ, (St. Louis: B. Herder Book Co., 1927)

Succession, as used in this connection, is the following of one person after another in an official position, and may be either *legitimate* or *illegitimate*. Theologians call the one *formal* succession; the other, *material*. A material successor is one who assumes the official position of another contrary to the laws or constitution of the society in question. He may be called a successor in as much as he actually holds the position, but he has no authority, and his acts have no official value, even though he be ignorant of the illegal tenure of his office. A formal, or legitimate, successor not only succeeds to the place of his predecessor, but also

receives due authority to exercise the functions of his office with binding force in the society. It is evident that authority can be transmitted only by legitimate succession; therefore, the Church must have a legitimate, or formal, succession of pastors to transmit apostolic authority from age to age. One who intrudes himself into the ministry against the laws of the Church receives no authority and consequently can transmit none to his successors. (pp. 139-140)

In some cases they [Orthodox churches of the East] may also have a *material* succession of bishops from Apostolic times, but this avails them nothing, since they lack both unity and Catholicity, — two essential marks of the true Church. In no case do they have legitimate succession... (pp. 184-185)

RAPHAEL CERCIA, S.J.

Tractatus de Ecclesia Vera Christi, (Neapoli: Typis Caietani Migliaccio: 1852)

Denique [nuncupatur apostolica successio] *non interrupta*, tam scilicet *materialiter* quam *formaliter*; quatenus nec desint omnino personæ quæ iugiter Apostolis substituantur; et hæ ipsæ personæ substitutæ illam fidei et communionis unitatem retineant, quibus primitus vigeat hierarchia fundata in Apostolis. Atque ex his constabitur notio quoque *missionis* et *vocationis*. Sunt enim *legitima assumptio* et *deputatio ad obeunda apostolica munia*, quatenus quis legitime in Apostolorum locum successerit. Nimirum missio et vocatio pendent a successione, ac per hoc quod aliquis rite sit factus Apostolorum successor, missionem habet, et est in statu vocationis apostolicæ. (p. 270)

Et sane apostolicitas originis exigit ut Ecclesia quacumque ætate, saltem mediate, connectatur etiam materialiter cum suis fundatoribus Apostolis. (p. 271)

Per hæc ergo evidens est numquam posse deficere in Ecclesia veram successionem Apostolorum. Et quidem neque *materialiter* neque *formaliter*. Si enim semper Ecclesia habere debet formaliter apostolicitatem fidei et communionis, semper etiam habere debet formaliter apostolicitatem successionis. Item sicut semper Ecclesia esse debet formaliter una, ita et formaliter pollere debet apostolica successione, sine qua, ut vidimus, non esset una. Præterea Christus promisit Apostolorum successores usque ad mundi exitum exituros, quod ostendit successionem materialiter non posse deficere. Cum vero addiderit se hisce successoribus perpetuo suam assistentiam, sic ut Apostolis, fore largiturum; conficitur apostolicam successionem ne formaliter quidem posse in vera Ecclesia labefactari.

Hæc cum ita habeant de successione, patet quid sit sentiendum de missione apostolica. Nimirum diximus possessionem missionis pendere ex possessione illius successionis. Si itaque ecclesia numquam carere potest apostolica successione tum materialiter tum formaliter

inspecta, nec etiam potest privari missione apostolica utroque sensu sumpta. Si autem perseverat missio, durat etiam aptitudo et auctoritas ad ipsam exercendam. (pp. 272-273)

Fatemur enim eas [ecclesias græcam et ruthenam] non destitui quadam specie successionis; sed tamen ea est materialis tantum, non autem formalis, utpote caret adhæensione servanda capiti in unitate fidei et regiminis. Ut ergo materialis successio non favet nestorianis atque eutychianis, quamvis antiquior sit, ita non favet ecclesiæ græcæ aut ruthenæ. Idem a fortiori dicendum est de successione ecclesiæ anglicanæ. (pp. 340-341)

SERAPIUS AB IRAGUI, O.F. M. CAP.

Manuale Theologiæ Dogmaticæ, I: Theologia Fundamentalis, (Madrid: Ediciones Studium, 1959)

Quid dicendum de successione materiali? Successio materialis nihil est aliud nisi continuatio unius post alium in aliqua sede. Jamvero hac facile verificari potest ex documentis historicis, quapropter successio materialis est proprietas *notior* quam ipsa Ecclesia. Sed successio materialis veram Ecclesiam non potest notificare nisi *negative*; aliis verbis, non repugnat quod ecclesia spurca hanc notam exhibeat, et de facto, non desunt ecclesiæ separatæ quæ ipsam possideant.

DOMINICUS PALMIERI, S. J.

Tractatus de Romano Pontifice, (Prati: Giachetti, 1891)

Triplici ex capite dicitur Ecclesia *Apostolica*, ratione originis, quatenus est ab Apostolis profecta: ratione doctrinæ quatenus proficitur fidem ab Apostolis traditam: ratione ministerii seu regiminis, quatenus regitur et pascitur ab iis qui continuata serie sunt successores Apostolorum. Si hoc tertium adsit, habentur et duo priora: nam adest certe origo apostolica, cum series Pastorum succedentium ab Apostolis inceperit: adest et doctrina Apostolica, quoniam seriei continuæ successorum Apostolorum promissa est infallibilitas.

Verum ut hæc adsint, necesse est, ut illud tertium existat non tantum *materialiter*, sed et *formaliter*; sit nempe formalis successio Pastorum. Successio materialis est mera series successiva Pastorum seu Episcoporum non interrupta usque ad Apostolos vel aliquem ex Apostolis ex quibus inceperit: successio formalis est hæc series, quæ præterea potitur auctoritate ab Apostolis derivata in singulos successores, hac enim formaliter constituuntur successores, quorum proinde singuli auctoritatem ab Apostolis derivatam accipiunt ab iis vel ab eo qui eandem auctoritatem actu obtinent et communicare aliis possunt: sic enim formaliter fit ut auctoritas per successionem perseveret. Utraque successio

necessaria est, nec altera sine priore esse potest: prior tamen notior est; altera autem tum cognoscitur cum vera Ecclesia cognoscitur. Quia vero heic de proprietate agimus, eam integre spectamus et vindicamus Ecclesiæ.

Sane 1° requiritur successio materialis. Etenim Christus instituit ministerium Apostolicum, illudque perpetuum esse voluit: ecce ego inquit vobiscum sum omnibus diebus etc. Atqui non foret illud perpetuum, si ministri Ecclesiæ non essent continuata serie successores Apostolorum: ergo. Item Ecclesia una esse debet eademque semper. Unitatis autem Ecclesiæ principium est ministerium a Christo institutum; ergo unum ministerium semper esse debet in Ecclesia: oportet ergo ut eo ministerio Ecclesia regatur quod Christus Primitus Apostolis commisit. Id autem fieri nequit nisi regatur semper per eos qui continuata serie ab Apostolis derivent; si enim per alios regitur qui ad Apostolos referri nequeunt, regitur reapse eo ministerio quod a se incipit, non eo quod Christus instituit: multiplex proinde esset auctoritas et Ecclesia una esse desineret, sed multiplex evaderet multiplicato principio unitatis. Quocirca etiam liquet quod series successorum numquam interrumpi debet; si enim aliquando desinit, cessat ministerium illud quo Ecclesia regenda est, cessat principium eius unitatis; ideoque cessat ipsa Ecclesia: si autem aliquando cesset Ecclesia, non amplius instaurari potest; principium enim eius efficiens est ministerium Apostolorum docendi, regendi, sanctificandi, quod in hac hypothesi non amplius esset. Ministri autem a se ipsis nasci non possunt; quia ministerium debet esse Apostolicum et ut sit Apostolicum, per traducem successionis derivandum est: «Si contaminabantur (boni consortio malorum), iam tunc (Cypriani ætate) non erat Ecclesia; respondete: unde huc existis? unde exstitit origo Donati? ubi baptizatus, ubi ordinatus?» ait Donatianis Augustinus *de Baptismo* l. 2. c. 6.

2° Hæc autem successio *formalis* esse debet. Hæc enim est vera successio, ita ut materialis sola non sit successio nisi specie tenus. Sane Ecclesia regenda est, ut diximus, semper ea auctoritate eaque sola, quam Christus instituit; auctoritas enim in Ecclesia est supernaturalis, quæ a solo Deo proficisci potest atque ut hac auctoritate regatur perpetuo Ecclesia, existit perpetua series successorum: oportet ergo ut auctoritatem illam eandem successores mutentur, quam Apostoli obtinuerunt. Ut autem qui succedit auctoritatem obtineat, oportet ut eam accipiat ab iis vel ab eo qui derivatam in se ab Apostolis actu obtinet eamque communicare potest; nam nec ille a se ipso acquirere potest, quia tunc non succederet nec potest eam mutuari ab illo, in quem ab Apostolis non sit derivata; quia tunc non acciperet auctoritatem Apostolicam nec satis est, quod eam dicatur accipere ab eo qui aliquando eam habuit; quia ipsa amitti potest nec satis est quod dicatur eam accipere ab eo qui eam habet, sed communicare nequit; quia tunc reapse acciperet nihil. Ergo. Hæc autem est successio *formalis*. Nimirum ut quis in Ecclesia auctoritatem habeat, requiritur missio Rom. X. 15. coll. 1. Tim. V. 22.7.; Tim. II. 2.; tit. I. 5.: mittere vero nequit nisi is qui et auctoritatem Apostolicam actu obtinet eamque communicare potest; ergo ab eo accipienda est auctoritas: ergo successor formaliter succedere debet. Qui igitur sic succedunt, ii solum possunt

vere dici successores Apostolorum; quia hi soli obtinent auctoritatem eam quam a Christo Apostoli acceperunt. (pp. 286–288).

LUDOVICUS CARD. BILLOT, S.J.

De Ecclesia Christi, (Romæ: in Pont. Univ. Greg., 1927)

Et hic nota, sermonem esse *de formali successione*, distincta ab ea quæ *mere materialis* est, et cum apostolicitatis carentia omnino potest componi. Materialis enim successio consistit in nudo facto occupationis sedis per continuam episcoporum seriem. Sed *formalis* addit permanentem identitatem eiusdem personæ publicæ, ita ut non obstante titularium multiplicata, nulla unquam in exercitio et arrogatione potestatis inter cesserit mutatio substantialis. (p. 262).

YVES DE LA BRIÈRE

“Eglise (Question des Notes)” in *Dictionnaire Apologétique de la Foi Catholique*, ed. A. D’Alès (Paris: Beauchesne, 1911)

Cette «note» de la succession apostolique est diversement concevable et probante, selon qu’il s’agit d’une *succession matériellement continue* (sans autre indice) ou d’une *succession attesté comme légitime*. Dans le premier cas, la succession apostolique sera une «note» *négative*, permettant d’exclure toute Eglise qui ne posséderait pas, depuis les apôtres, la *succession matériellement continue* de ses pasteurs. Dans le second cas, la succession apostolique sera une «note» *positive*, permettant de reconnaître pour unique et véritable Eglise du Christ celle qui établirait le *caractère légitime* de la succession de ses pasteurs depuis les apôtres.

Une succession est *attestée comme légitime*, lorsqu’elle a lieu conformément aux règles prescrites et qu’aucun vice essentiel n’en invalide l’exercice. La chose est comprise et vérifiable parmi les hommes, de même qu’est comprise et vérifiable la régularité d’une nomination ou la validité d’un mandat officiel.

Par conséquent, dans telle Eglise locale, la succession apostolique des évêques sera *matériellement continue* lorsque, remontant de titulaire en titulaire du même siège, on trouve chez les apôtres l’origine de la succession. Il y aura, de la sorte, origine *directement apostolique*, si le siège a été fondé par les apôtres eux-mêmes. Il y aura, d’autre part, origine *indirectement apostolique*, si le siège n’a pas été fondé par les apôtres, mais se rattache à une succession antérieure, émanant elle-même des apôtres.

Quant au *caractère de légitimité* de cette succession apostolique matériellement continue, il résultera du fait que la validité de la juridiction épiscopale n’aura pas été annulée par le *schisme* ou l’*hérésie*; c’est-à-dire par la rupture déclarée avec l’œuvre authentique de Jésus-Christ. Après semblable rupture, en effet, il ne peut évidemment pas y avoir de transmission régulière, valide, *légitime*, de l’autorité gouvernante, du pouvoir pastoral des apôtres: puisque, pas

l'hypothèse, on s'est notoirement exclu, séparé. de la hiérarchie apostolique; on a cessé d'être un vrai «pasteur» de l'Eglise pour devenir «rebelle» à l'Eglise du Christ.

Mais où faudra-t-il chercher la preuve extérieure du caractère légitime de la succession épiscopale? Comment établir l'absence de tout schisme, de toute hérésie, bref de toute rupture qui ait invalidé la juridiction transmise? — La preuve de légitimité apparaîtra si l'on trouve, joints à la succession matériellement continue depuis les apôtres, deux caractères distinctifs qui seront étudiés plus loin: les «notes» d'unité visible et de catholicité visible. Ces deux caractères permettront d'exclure pratiquement toute hypothèse de schisme, d'hérésie, de rupture. Ils garantiront ainsi la validité, la légitimité de la succession apostolique dans le gouvernement de telle Eglise chrétienne.

Donc la «note» d'apostolicité, prise dans toute l'ampleur de sa signification, envelopperait les «notes» d'unité et de catholicité, qui attesteraient la légitimité successorale. c'est la réunion de ces trois notes qui formerait un critère juridique de la véritable Eglise, en manifestant la transmission régulière du pouvoir pastoral des apôtres.

En tant que distincte de l'unité et de la catholicité, la «note» d'apostolicité n'aura qu'une valeur négative et d'exclusion, puisqu'elle n'attestera pas, par elle-même, le caractère légitime de l'autorité transmise. Ce sera néanmoins acquérir un indice précieux, pour l'examen des titres de chaque communion chrétienne, que de vérifier si elle possède — ou ne possède pas, — la succession continue depuis les apôtres dans le gouvernement de l'Eglise. (Tomus I, col. 1283 s.)

JOANNES MACGUINNESS C.M.

Commentarii Theologici. Parisiis: P. Letheilleux, 1913

Juxta catholicam doctrinam, ecclesia est essentialiter apostolica in ministerio hoc sensu, quod ex Christi institutione cœtus particularis non possit ad eam pertinere nisi cum Apostolis per numquam interruptam pastorum seriem jungatur. Ad hanc cum Apostolis conjunctionem efficiendam concurrunt elementa duo, materiale scilicet et formale. Materiale elementum est ipsa series haud interrupta pastorum: formale consistit in successione legitima. Porro ad successionem legitimam requiritur ut potestas duplex, qua homines pastores evadunt, ordinis scilicet et jurisdictionis, transmittatur absque defectu conditionis alicujus essentialis a Christo præscriptæ, vel quoad personas potestatem illam conferentes, vel quoad personas recipientes, vel quoad modum conferendi. Utrumque elementum, materiale et formale, complectitur definitio successionis apostolicæ quam tradit et explicat Cercià (sect. 3, lect. 8, p. 223), «publica, legitima, solemnitas et numquam interrupta personarum in locum Apostolorum ad regendam et pascendam ecclesiam suffectio». (Tomus I, n. 116)

Respondens objectioni quod fideles possint sibi eligere pastores, sicut societas civilis sibi regimen providere potest:

Jure enim naturæ societas civilis regimen sibi providere potest, si nondum habeat: in ecclesia vero quæ est societas supernaturalis divinitus constituta, haberi potest ministerium sacrum tantum secundum conditiones divinitus præscriptas. (*ibid.* n. 127)

Illi soli jurisdictionem pastoralem in ecclesia habent, qui eam per successionem continuam (mediatam aut immediatam) a fonte apostolico derivaverint. — contra Puseyitas

Prob. I. Illi soli jurisdictionem pastoralem in ecclesia habent qui legitime eam derivaverint a fonte, in quo exclusive Christus eam primitus reposuerat; atqui 1. Christus totam jurisdictionem ecclesiasticam Apostolis collective sumptis tamquam uni collegio exclusive commisit, et 2. ab hoc fonte nemo legitime eam derivat nisi per successionem continuam (immediatam aut mediatam); ergo. (*ibid.* n. 128)

Societas hæreticalis aut schismatica eo ipso caret apostolicitate ministerii. — Contra Protestantes universim.

Prob. Ad apostolicitatem ministerii requiritur potestas tum ordinis tum iurisdictionis: munus enim pastoris exercere quis nequit nisi in oves rite creditas et commissas; atqui hæretici et schismatici non habent *iurisdictionem*; ergo secta omnis hæreticalis aut schismatica caret apostolicitate ministerii.

Prob. Min. Nonnisi ab ecclesia vera et apostolica haberi potest iurdictio (ex prop. præced.); atqui a priori repugnat ecclesiam oves pastoribus hæreticis aut schismaticis committere: et a posteriori et in praxi consuevit semper ecclesia episcopos hæreticos aut schismaticos deponere. (*ibid.* n. 132)

H. HURTER S.J.

Medulla Theologiae Dogmaticæ. Veniæ: Libreria Academica Wagneriana, 1902

In qua apostolicitate ministerii duplex secernatur elementum materiale, quod continetur ipsa pastorum serie, et formale, quod continetur legitima proprieque dicta successione. Necessè scil. est, ut successor non per vim, sed secundum legem et ritum ea in societatem vigentem in antecessoris locum, munus relationemque ad reliquum pastorum cœtum atque Ecclesiam subeat, nulloque proinde schismate ab Ecclesiæ unitate deficiat. Qui enim schismatis est auctor, ramus erit præcisus et novam quidem inchoare poterit pastorum seriem; hæc tamen carebit continuatione organica et vitali cum antecessoribus. Gloriari forte potuerunt cœtus aliqui schismatici Orientis serie quadam materiali pastorum, quæ pertingat ad apostolos usque; sed carent elemento formali: assignari scil. poterit aliquis in hac serie pastor, qui nolens esse successor sui antecessoris an ecclesiastica unitate defecerit novamque exorsus sit pastorum seriem. (n. 273)

ÆMIL. DORSCH

Institutiones Theologiæ Fundamentalis. Cœniponte: 1914. Tomus II

Apostolicitas ministerii ea dicitur proprietates ecclesiæ qua pastores et doctores, qui modo ei præsent, originem ducunt ab apostolis, mediante non interrupta serie successionis; unde hæc apostolicitas etiam successionis dicitur.

Per hanc apostolicitatem igitur non solum idem materiale ministerium nunc in ecclesia hebetur, sed et iidem fere formaliter ministri, qui ab initio fuerant, quatenus ministri nunc in ecclesia fungentes continuati quidem apostoli sunt, eo quod ex eorundem dispositione idem ministerium ex legitima hæreditate possident.

Divisio. 1. Prima divisio fit secundum duplex elementum, quod etiam in apostolicitate ministerii discernere licet: materiale *unum* quod continetur ipsa pastorum serie, et formale *alterum*, quod continetur legitima et proprie dicta successione. Sic distinguitur apostolicitas materialis et formalis. *Illa* in eo est, quod in aliqua ecclesia, cuius primus episcopus originem habuit ab apostolis, episcopi valide ordinati sine interruptione alii aliis usque ad præsentem episcopum successerunt, quamvis a certo tempore in iis legitima missio defecerit. Apostolicitas formalis ea est, quæ ad materialem successionem i.e. ad validam ordinationem perpetuo habitam addit missionem seu iuris dictionem legitimam usque ad præsentem diem non interruptam.(p. 517)

Ministerium a Christo apostolis primitus traditum perenne est in ecclesia; unde semper in ecclesia pastores esse debent idem, qui erant apostoli: “ecce ego vobiscum sum [apostolis prædicantibus] usque ad consummationem sæculi.” *Atqui* nemo pastor in ecclesia est, nisi qui mittitur; nemo pastor ad modum apostolorum nisi eadem missione mittitur qua et apostoli missi sunt a Domino. — *Porro* hæc missio, quam apostoli directe a Christo receperunt, tam immediate iam fieri nequit vel saltem non fit, sed sicut per apostolos proximis successoribus, ita per hos successores legitimos ulterius tradenda est. *Quare* tota ministrorum per sæcula series necessario revocatur genealogia quadam spirituali ad apostolos; et eo ipso ecclesia propter numquam interruptam pastorum seriem ad apostolos usque pertinentem apostolica ratione ministerii censi debet.(p. 519 s.)

M. JUGIE

Art. “Apostolicità” *Enciclopedia Cattolica.* Città del Vaticano: 1948 Vol. I n. 1693

La nozione dunque generale e completa dell’ apostolicità vuol dire continuità con la Chiesa fondata dagli Apostoli per ininterrotta successione di legittimi Pastori (apostolicità materiale); e indentità essenziale di ministero e di regime gerarchico-monarchico (apostolicità formale).

SUMMARIUM DOCTRINÆ PRÆFATORUM AUCTORUM ET COMMENTARIUM

I. Successio apostolica debet esse perennis et continua tam materialiter quam formaliter, ita ut Ecclesia, analogice ad corpus physicum vivum habeat *legaliter* unum corpus morale (= hierarchiam legaliter constitutam cum membris ei connectis) et unam animam moralem (unam auctoritatem) dum sæcula transit usque ad finem mundi. Si unum vel alterum defecerit, Ecclesia disinierit. Si unicitas corporalis defecerit, i.e., si personæ *legaliter* non substitutæ fuerint Apostolis, tunc auctoritas, quæ est missio Ecclesiæ et forma qua Ecclesia vera Christi Ecclesia est, non potuerit recipi in materia, et missio Ecclesia disinierit. Insuper si umquam Ecclesia, tamquam unicum corpus legale fundatum a Domino Nostro Jesu Christo et continuatum ab Apostolis usque adhuc, disinierit, nemo potuerit eam restituere. In tali casu, id est, si Ecclesia post defectionem seriei materialis pastorum restituta fuerit, *nova ecclesia* fuerit quia principium unitatis — identificatio etiam materialis cum Ecclesia a Jesu Christo fundata — disinierit. Cessatio lineæ materialis analogica est annihilationi corporis in ente physico, ita ut nihil maneat, nec etiam pars substantiæ, quæ formam accipere possit. Item identitas Ecclesiæ requirit ut unam formam retineat tamquam ipsum constitutum formale personalitatis moralis per omnia sæcula, quod est ipsa auctoritas Christi quæ cuique papæ, electionem validam et indubitam possidenti, nullamque obicem potestatis accipiendæ ponenti, communicatur. Essentia Ecclesiæ insuper requirit ut, in quantum corpus morale, hæc unica auctoritas recipiatur in materia moraliter una, id est in unica serie pastorum legaliter constituta et non interrupta. Auctoritas igitur qua Ecclesia regitur est singularis auctoritas a Christo possessa principaliter et a papa vicarie. Non dantur duæ auctoritates, sed unica, constituens Ecclesiam unam personam moralem, supernaturalem, sæcula transientem. Similiter non dantur plura corpora ecclesiastica, sed unica, propter continuationem legalem seriei pastorum.

Unicum corpus morale Ecclesiæ + **unica auctoritas** a Christo possessa et electo communicata = **unica persona moralis Ecclesiæ Catholicæ**

II. Non est legitima missio, si deest legitima successio. Auctoritas apostolica non potest accipi nisi ab eo qui *legitime* successerit ad possessionem sedis apostolicæ. Intrusi, i.e., qui electionem legalem non acceperint, incapaces sunt essendi veri apostolorum successores.

III. Non est legitima successio apostolica, nisi sit formalis. Successio materialis, vel per electionem legalem vel per possessionem violentam seu præter legem, non sufficit ut adsit *legitima successio apostolica*, quia auctoritas est forma qua aliquis constituitur ut verus successor apostolorum. Legalis electio non sufficit ut aliquis constituatur et

consideretur verus successor apostolorum *formaliter*, sed *materialiter* tantum.

IV. Datur realis distinctio inter nudum factum occupationis sedis et possessio auctoritatis; insuper hæc duo separari possunt. Hæc distinctio est ipsum fundamentum theseos M/F, nempe quod designatio ad accipiendam auctoritatem non includit necessario ipsam possessionem auctoritatis, et, si persona designata interposuerit aliquod obstaculum ad accipiendam auctoritatem quæ naturaliter convenit designationi acceptæ, manserit in statu pure materiali quoad auctoritatem. In tali casu subiectum designationis non amitteret ipsam designationem nisi eo auferetur legaliter, simul autem non possideret auctoritatem, et non esset papa vel episcopus loci simpliciter, sed mere *secundum quid*, i.e. dispositive. E converso, amissio vel nuda non-possessio potestatis non excludit legalem designationem. Designatio legalis ad auctoritatem accipiendam ex una parte, et ipsa possessio auctoritatis, ex altera parte, sunt duæ res realiter distinctæ et separabiles.

V. Subiectum primum auctoritatis Ecclesiæ est ipse Christus qui eam communicat personæ quæ legitime electa et designata est ad Pontificatum. Ecclesia semper regitur principiãter a Christo eius capite et auctoritas qua pollet papa est ipsa auctoritas Christi, una eademque, quæ manet una eademque per omnia sæcula, etiamsi titulares multiplicentur. Auctoritas seu jurisdictio unica est, id est Christi, et hæc unitas et unicitas auctoritatis est ipsa forma Ecclesiæ qua manet formaliter una simul ac unica persona moralis per omnia sæcula.

VI. Successio formalis potest esse moralis et non physica; successio autem materialis debet esse physica. Papa enim mortuo, sede vacante, non desinit continuitas papatus quia Ecclesia intendit novum Pontificem eligere. Successio ergo ab uno papa ad proximum est mere *moralis* quatenus intentio eligendi papam persistat et subjectio huic potestati in membris Ecclesiæ remaneat. Successio esset physica si, antequam unus papa moriretur, successorem eligeret et potestatem ei præberet. Successio autem materialis debet esse physica *hoc modo: opus est ut semper existant personæ quæ legaliter aptæ sint ad papam eligendum.* Aliis verbis, linea corporalis Ecclesiæ, non solum membrorum sed etiam et præcipue hierarchiæ numquam potest interruptionem physicam admittere. Si, per impossibile, hæc linea etiam brevi tempore interrumpatur, Ecclesia deficeret, et non posset restitui. Hæc continuitas corporis Ecclesiæ, quæ est essentialiter hierarchica, analoga est igni, qui si interruptus sit, exstinctus sit. Ratio est quod, deficientibus successoribus materialibus legitimis, nemo posset legitime accipere potestatem a Christo qui Ecclesiam regeret tamquam eius vicarius. Pars formalis auctoritatis Ecclesiæ permanet in Christo, sede apostolica vacante, sed pars materialis, i.e., persona legitime designata ad auctoritatem accipiendam non potest permanere si nemo adsit qui legitime possit seligere eum. Ex quo hæc linea materialis seu pure legalis deficeret, restitui non posset nisi ab eo qui habet auctoritatem, id est *ab*

ipso Christo, qui novam vocationem Apostolorum, novam Ecclesiam differentem ab ea quæ supra Sanctum Petrum fundatam esset facere “deberet”, data divina constitutione Ecclesiæ.